

107. Cum enim in eo duo sint. 1. Depravatio omnium vitium humanarum, subsecuta privationem iustitiae debita inesse: 2. Reatus: hunc quidem in baptismo planè tolli; neque quicquam eius, quod ad damnationem renatis obsit, remanere statuimus.

108. Siquidem nulla iam est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu: & quicumq; in Christo baptizati sunt, Christum induerunt: ipsorumq; peccata in profundum maris, quod est Baptismus, proiecta sunt omnia. Rom. 8, 1. Gal. 3, 27. Mich. 7, 19.

109. Et hoc ipsum est, quod vulgò in Scholis dicitur; Tolli in Baptismo Formale: manere autem Materiale: per Formale Reatum: per Materiale verò ipsum defectum & concupiscentiam intelligendo.

110. Vel, uti D. August. loquitur, Dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur.

L. 1. de
nupt. &
Conc. c. 25

111. Etsi verò ipsae quoque vires nostrae depravatae renovari incipiunt: ipsa tamen Renovatio in quantumvis Sanctis, hac in vita nunquam planè absolvitur.

112. Liquet hoc perspicua ipsius Apostoli confessione, dicentis: Non quòd apprehenderit, aut iam perfectus sim: Sed sector, si etiam apprehendam, quatenus & apprehensus sum à Christo Iesu.

Phil. 3,
12.

Rema-